

# Stephanus Galdeti

Editor: Alexander Baumgarten

*work in progress*

09.10.2024

Manuscripts:

*P1* Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

~~(Q)uestio est utrum elementa maneant in mixto formaliter.~~

~~Quod sic ostenditur: illa manent inmixto quorum accidentia manent, quia accidentia sine subiectis esse non possunt, sed accidentia elementorum sunt huiusmodi, scilicet calidum etc.~~

~~Oppositum, quia tunc sequeretur quod mixtum non esset unum auctoritate COMMENTATORIS supra 2-De anima, dicentis quod “compositum non est unum neci propter unitatem existentem in forma”. Idem dicit ipsemet 12-Metaphysice, 12 commento: “consequens est impossibile, quia mixtum est species”. Species autem una natura vult esse.~~

~~Dicendum de questione. Primo, ponam opinionem que michi videtur esse verior.~~

~~Secundo, ponam rationes in contrarium illius opinionis.~~

~~Tertio, illas pro posse dissolvam.~~

~~Quarto, movebo quedam dubia circa dicta.~~

~~Quinto, dissolventur.~~

~~Sexto, dabitur modus mixtionis.~~

~~De primo dico quod elementa non manent. Hoc sic ostenditur, quia hoc posito sequeretur alterum duorum quorum utrumque est impossibile, scilicet vel quod quelibet pars mixti non esset mixta vel quod duo corpora essent in eodem. Primo est inconveniens 1-De generatione, capitulo de mixtione. Dicimus autem oportere si mixtum est aliquod mixtum omoimeros esse et quemadmodum aqua aque et temperati, id est mixti.~~

~~Secundum patet inconveniens in multis locis ab ARISTOTELE. Probatur consequentia, quia si elementa manent aut in eodem situ aut diversis. Si in eodem, duo corpora vel plura simul sive diversis. Secundum, quia nichil est mixtum nisi sint ibi quatuor elementa, modo partes mixti non erunt huiusmodi. Dicitur immo ab aliquibus quod non est inconveniens plura corpora elementaria esse simul.~~

~~Contra: duobus suppositis. Primo, quod elementa venientia ad constitutionem mixti non sunt equalis quantitatis. Probatur, quia habent adequari in virtutibus, ut dicit ARISTOTELES: “quando autem potentiis adequantur equaliter tunc translatur iterum in dominans ex sui ipsius natura, non generatur autem alterum, sed medium commune”. Sed hoc~~

---

6 oppositum] *iter. in marg. P1*      12 dicendum] *ordo procedendi add. in marg. P1*      19 primo] *prima ratio add. in marg. P1*      21 corpora] *non add. sed del. P1*      34 adequantur] *tunc add. sed del. P1*

non esset supposita equali quantitate, quia in equali quantitati unum elementum est altero potentius.

Secundo suppono quod locus proprius debet esse equalis locato pro convenientia, ut patet 4 *Physicorum*. Ex quibus cum concessio sequitur quod locus proprius non erit equalis locato, ut clarius est deducere.

Idem probatur supponendo dictum ARISTOTELIS 1 *Celi* quod “in materia non est potentia ad aliquam formam, nisi per separationem eius a prima forma”. Hoc supposito probatur propositum, quia, si forme elementorum manerent, tunc forma mixti reciperetur in aliquo in quo est impossibilis ipsam recipi, ut faciliter potest deduci.

Item, arguitur idem, quia aliter sequeretur quod aliqua substantia generaretur sine corruptione alicuius. Hoc falsum 1 *De generatione* “quo circa propter huius corruptionem alterius generationem esse et huius generationem alterius corruptionem inquietam necesse translationem”. Tenet consequentia de se, ex quo in generatione mixti non corrumpuntur elementa, quia nichil videtur ibi debere corrumpi.

|| Item, si elementa manerent in mixto, tunc sequeretur quod ignis posset esse frigidior vel secum compati tantam frigiditatem vel alterati ad tantam frigiditatem vel maioris quam sit frigiditas aque. Hoc videtur absurdum, nec egens ulteriorem deductionem. Probatur consequentia, quia aliquid est mixtum frigidius, ut docet experientia de lapide marmoreo.

P1 125v

Ad idem sunt auctoritates.

Una est ARISTOTELIS 1 *Celi et mundi* dicentis: “in carne quidem et ligno et unoquoque talium et potentia ignis et terra manifesta est quod in illis segregata in igne est aut caro aut lignum, non inest neque per potentiam, neque per accidens”.

Item 1 *De generatione*: “secundum eundem modum nec corpus eibum nec figuram terre mixtam”. Et subdit: “salvata enim videntur”. Ideo ARISTOTELES: “post neque manent, igitur actu ut corpus album nec corrumpuntur nec alterum nec ambo”. Supple ‘non corrumpuntur’ secundum exemplum, sed secundum quid medium “salvatur enim virtus eorum”. Ecce quod non manent formaliter nec actu, sed virtualiter. Patet etiam auctoritate AVERROYS 1 *De generatione* dicentis “recte quidem dicitur elementa seu miscibilis non esse in mixto actu et salvari in potentia”. Et sic dictum sit de primo principali huius questionis.

6 idem | secunda ratio *add. in marg. P1*  
 22 item | quinta ratio *add. in marg. P1*  
 modum | nec figuram terre *add. sed del. P1*

11 item | tertia *add. in marg. P1*  
 27 ad | auctoritates *add. in marg. P1*  
 1 corpus | album *add. sed del. P1*

Secundum principale est movere rationes contra dictam positionem. Et primo sunt aliquae rationes ALBERTI-3 *Celi et mundi*. Prima ratio est haec: ex illis componitur mixtum formali in quo resolvitur. Patet 1 et 3 *Physicorum*, sed in elementa resolvitur, igitur.

Item, quarto sequeretur quod materia consequens non fieret propria. Haec est impossibilis 2 *De anima*, ubi vult ARISTOTELES quod actus primus sit in materia propria. Idem dicit 8 *Metaphysice* dicens: “etsi ex eodem omnia primo, eisdem autem primis et eadem materia ut principium hiis que fiunt, tamen aliqua propria cuiuslibet ut fleumatis materia prima dulcia aut crassa, colere vero amara, aut alia quedam, forssan autem haec ex eodem omnia. Et tenere videtur contraria, quia haec videretur maxime per formas elementorum quas tamen dicit non manere”. Haec sunt rationes ALBERTI in predicto loco.

Item, arguitur rationibus communibus, quia illa que manent solum alterata non corrumpuntur, sed elementa sunt huiusmodi per diffinitionem mixtionis, quia est immobilium etc.

Item, sequeretur quod elementa non essent elementa. Haec impossibilis, et probatur consequentia per diffinitionem elementi, quia elementum est ex quo primo fit unumquodque in existente indivisibili specie in aliam speciem, 5 *Metaphysice* capitulo de elemento.

Item, quod resolutio immediata mixti non esset ad quatuor elementa ex quo non sunt in ipso mixto. Consequens est impossibile 5 *Metaphysice* et 4 *Metheorice*.

Item elementa non essent principium nisi forsan per accidens ipsius mixti. Hoc tamen est impossibile, nam sicut materia prima se habet ad simplicia, ita videntur simplicia se habere ad mixta, modo prima materia est principium per se. Tenet consequentia, quia quod non manet in adventu alterius non videtur per se principium illius, modo parte sic est de elementis.

Item, mixtum esset eque simplex, sicut elementum quod videtur implicare. Tenet consequentia, quia sicut in elemento non est nisi prima materia et forma illius, sic etiam in mixto.

Item, dicitur 1 *Celi et mundi* quod mixtum movetur per naturam elementi predominantis et illa natura non est materia, quia illa est in potentia ad omnem motum, et sic non est principium actus determinati, ergo forma, modo illud per quod movetur mixtum oportet in existere

---

5 secundum] secunda pars *add. in marg. P1*      24 item] quarta ratio *add. in marg. P1*      30 item] quinta ratio *add. in marg. P1*      33 item] sexta ratio *add. in marg. P1*      2 item] septima ratio *add. in marg. P1*      7 item] octava ratio *add. in marg. P1*      10 item] nona ratio *add. in marg. P1*

mixto.

Item, materia prima reciperet omnes formas immediate. Consequens  
 5 videtur falsum, quia tunc in receptione formarum non esset aliquid  
 ordo. Hoc falsum. Tenet consequentia quod recipit. Non est dubium  
 immediate formas elementorum et simili parte formas mixtorum, ergo et  
 eetera.

Item, hoc videtur poni, quia ex duobus entibus in actu non fit unum.  
 10 Sed hoc falsum, quia ex duobus accidentibus fit tertium, ut patet de  
 corpore.

|| Item, tunc mixtio non differt a generatione. Consequens est impos-  
 sibilis per ARISTOTELEM dicentem in illa particula hic: “quidem videtur  
 sermo querere quid differt actu mixtio a generatione et corruptione  
 15 et quid immobilis a generabili et corruptibili. Manifestum enim quod  
 oportuit differe si est mixtio”. Probatur consequentia, quia generatio  
 est “quando hoc totum mutatur in hoc totum nullo sensibili remanente  
 ut subiecto”, ut patet circa principium 1 *De generatione*, modo sic  
 tamen ponit in mixtione ideo etc. P1 126r

Item si hoc esset, tunc sequeretur quod animata non moverentur a  
 se ipsis aut quod motus esset in ente in pura potentia. Utrumque horum  
 est falsum. Primum 8 *Physicorum* ubi dicit Aristoteles namque ipsa a se  
 ipsis dicere impossibilis est. Vitalem enim hoc animatorum est proprius.  
 Impossibilitas secundi patet ex 5 *Physicorum*: “quod autem simpliciter  
 25 non est hoc aliquid est hoc nullo modo. Impossibilis enim quod non est  
 moveri”. Ens autem in potentia non est hoc aliquid, ergo impossibilis  
 est in eo esse motum. Consequentia patet, quia omne quod movetur  
 a se oportet esse divisibilis in duas partes, quarum una est movens et  
 altera mota, ut patet in eodem 8, modo cum anima sit movens, oportet  
 30 corpus esse motum, modo si in illo non sint elementa, erit ens in prima  
 potentia, et sic secundum inconueniens. Ad idem sunt auctoritates. Nam  
 dicit ARISTOTELES quod non corrumpuntur nec alterum nec ambo et  
 multa alia dicta in eodem capitulo videntur hoc sonare.

Restat autem ponere tertiam partem questionis que est in solutionem  
 35 rationum. Ad primum, cum dicitur “ex illis componitur mixtum in que  
 resolvitur”, dicendum quod aliquid potest resolvi in aliud dupliciter,  
 vel per simplicem divisionem. ut domus in lateres etc., alio modo per  
 translationem sive per alterationem precedentem. Primo modo est vera  
 maior, non secundo modo. Alie due remanebant insolute in exemplari,

---

10 item | decima ratio *add. in marg. P1*      18 item | undecima ratio *add. in*  
*marg. P1*      20 item | duodecima ratio *add. in marg. P1*      2 item | quarto *add.*  
*in marg. P1*      5 item | quinto *add. in marg. P1*      6 Aristoteles | dicens *add.*  
*sed del. P1*

et tu solve.

5 Sed ad tertiam, in qua dicitur quod tot formarum, esset susceptibilis solutio quod stat in hoc, scilicet quod est concedendum pro quo intelligendum, quod sicut materia existens sub forma simplicis non est susceptibilis forme compositi, nisi in quantum miscetur cum aliis simplicibus, sic nimirum si materia existens sub forma mixti, ut sic non sit susceptibilis formarum simplicium nec propter hoc debet argui  
10 susceptibilis pauciorum formarum quam prima materia seu materia simplicis ideo etc.–

Ad quartam, que dicit quod materia communis non fieret propria, negatur consequentia, unde materiam communem fieri propriam potest intelligi dupliciter: uno modo quod fiat appropriata per formam sibi  
15 inherentem et manentem in adventu alterius, et isto modo non est verum saltem in proposito; alio modo, quod fiat appropriata per agens alterans et disponens ad talis formae receptionem, et isto modo bene sit in proposito, et sic forme elementorum appropriant materiam communem, nec propter hoc oportet manere, ut datur exemplum de forma spermatis  
20 que apropiatur materiam sibi subiectam, forsitan humane.

Ad quintam rationem dicendum: conceditur illa diffinitio tanquam vera, quod mixtio est micibilium alteratorum, sed non solum, sed etiam corruptorum. Quaecumque enim sunt corrupta sunt alterata, quia ly  
25 ‘alterata’ est participium preteriti temporis. Et si dicatur quare non dicit corruptorum, dicendum quod causa est ut ponitur in illa questione quod mixtum potest accipi dupliciter, uno modo pro substantia mixti composita ex forma mixti et ex materia, et sic dico quod non loquitur ibi ARISTOTELES de mixtione, et sic est falsum elementa manere in mixto; alio modo potest capi mixtum pro motu precedenti quo acquiritur  
30 substantia mixti. Primum dicitur mixtum pro tanto, quia continet virtutes elementorum. Dat enim quidquid elementa dant materie virtute perfectiori, et tunc dico quod manent in mixto isto modo, et illo modo accipit ARISTOTELES mixtionem pro motu quo substantia mixti acquiritur.–

35 Ad aliam dicendum secundum COMMENTATOREM ibidem quod illa diffinitio intelligitur de prima materia. Et patet etiam per particulas, quia dicitur ex quo primo fit res modo ex elementis non, iste autem competit primo unumquodque, illa enim iam ulterius fiunt ex aliquo priori. Item, dicitur ibi indivisibili specie in aliam etc. Istud autem

---

6 restat | tertia pars questionis *add. in marg. P1*    10 ad tertiam | *iter. in marg. P1*    19 compositi | ita *add. sed del. P1*    30 simplicibus | simplicibus *conñ. P1*    33 si | *fo add. sed del. P1*    2 ad quartam | *iter. in marg. P1*  
10 ad quintam | *iter. in marg. P1*    13 isto | *p. c. P1*

competit prime materie, non elementis.–

Ad aliam, quod resolutionem mixti esse ad elementa potest intel-  
 5 ligi dupliciter: uno modo per simplicem divisionem que est ad partes  
 quantitativas, et hoc modo non est possibile in proposito; alio modo per  
 alterationem, et hoc modo bene possibilis. Et quando dicitur “quia ex  
 illis non componitur”, dico quod compositio est duplex, vel formaliter, vel  
 10 materialiter et potentialiter. Illud quod tu dicis est verum, si nullo modo  
 componatur, nullo modo resolvitur, si tamen virtualiter potest resolvi  
 per alterationem, si formaliter potest resolvi per simplicem divisionem.

Ad aliam dicit iste magister quod sunt principium per se, quia licet  
 non manent formaliter, manent materialiter, et hoc sufficit, et vide tu  
 super hoc.

|| –Ad nonam dico quod non est eque simplex, unde sciendum quod  
 15 compositio est triplex. Quedam enim est compositio materialis seu com-  
 positio qua aliquid componitur ex aliquibus materialiter, non formaliter,  
 ut mellieratum ex melle et aqua, non tamen manentibus sub propria  
 forma. Aliud invenitur compositum formaliter ex aliquibus quorum  
 20 utrumque manet sub propria forma ut compositio domus vel exercitus  
 ex hominibus. Aliud invenitur compositum virtualiter, sicut medium  
 componitur ex extremis, ut fuscum ex albo et nigro et cum simplex  
 opponatur compositio simplex dicitur tot modis. Et per hoc ad rationem  
 dico quod elementum et mixtum sunt eque simplicia per privationem  
 25 compositionis formalis, sed non concludit de compositione virtuali vel  
 materiali.–

P1 126v

Ad aliam “quia mixtum movetur secundum naturam elementi predo-  
 minantis” hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod moveatur per  
 materiam vel formam elementi predominantis. Isto modo non credo. Alio  
 30 modo potest intelligi quod moveatur per virtutem consequentem formam  
 mixti per similitudinem elementi dominantis in causatione mixti, et isto  
 modo est illud intelligendum, et ratio quare movetur secundum motum  
 talis elementi est quia magis sibi assimilatur quam alicui aliorum, quia  
 predominabatur in causatione forme mixti.

Ad aliam dicendum quod “materiam recipere omnes formas im-  
 mediate” est (intelligendum) dupliciter. Uno modo, per privationem  
 cuiusque forme medie receptive, et isto modo concedo quod recipit omnes  
 35 immediate. Alio modo, per privationem cuiuscumque forme causalis  
 causalitate effectiva, et isto modo negandum, et isto modo intelligendus

---

13 ad aliam] ad sextam *add. in marg. P1*      25 ad aliam] ad septimam *add.*  
*in marg. P1*      33 ad aliam] ad octavam *add. in marg. P1*      18 ad nonam ]  
*iter. in marg. P1*      35 ad aliam] ad decimam *add. in marg. P1*

est COMMENTATOR, si hoc neget. Forme enim elementorum sunt medium ad receptionem forme mixti, sicut efficiens.

5 Ad duodecimam dicit quod illa potest esse una causa et negat instantiam in accidentibus dicendo sententialiter quod corpus non fit ex longitudine et latitudine essentialiter, sed tantum terminative. Sunt enim ista termini corporis.

Ad aliam de motu animalium dicendum negando consequentiam. Et quando dicitur “quia omne tale est divisibile in partem per se moventem et partem per se motam” et quando dicitur ultra “si forme elementorum” etc. non erit ita, nego istam. Ad probationem, “anima est movens corpus motum” etc., dicendum quod anima non est movens et corpus motum, sed una pars quantitativa est movens et alia mota, scilicet media pars cordis est movens, alie vero mote. Et illud patet auctoritate ARISTOTELIS in libro *De motibus animalium*, ubi sic ait: “motivam quidem partem potentia quidem, una operatione autem plures, et tamen simul moveretur membra” et cetera que secuntur et quibus clare intuiti patet quod una pars quantitativa movet alia vero mota. Sed instabit quia COMMENTATOR dicit in *8 Physicorum* quod: “animal movetur ab anima et quod anima quidem motor, corpus autem motum”. Item COMMENTATOR dicit *8 Physicorum*, commento 3, quod “motor debet esse distinctus a moto aut secundum diffinitionem et esse simul, sicut illa que moventur ab extrinseco, aut secundum diffinitionem tantum, sicut est dispositio in habentibus animas”. Anima enim que est motor distinguitur secundum diffinitionem non secundum esse, quia impossibile est animam esse sine corpore, impossibile est ergo quod una pars quantitativa sit movens, alia mota, quia una est distincta ab alia secundum esse, non solum secundum diffinitionem. Ad huius evidenciam sciendum quod anima potest capi dupliciter, uno modo pro substantia anime, et hoc modo sumitur cum diffinitur ab ARISTOTELE *2-De anima* “anima est actus primus corporis”, alio modo pro potentia seu virtute, et isto modo sumitur hic, cum dicitur quod anima est motor et quod hoc sit verum. Patet, quia principium movens in animali est indeterminata parte corporis, scilicet in ventriculo cordis, anima autem pro substantia anime non. Patet etiam auctoritate ARISTOTELIS in fine libro *De-*|| *-motibus animalium* et quia “natum est unumquodque sic constantium facere proprium opus” etc. quasi si diceret quemadmodum in civitate bene recta quando ordo fuerit semel stabilitus non est necesse

---

10 ad aliam] ad undecimam *add. in marg. p. c. P1*      1 ad duodecimam] *iter. in marg. P1*

monarcham, id est principem, adesse pro singula eorum que fiunt, ita eodem modo anima, que est principium movens, non semper adest euilibet parti animalis, et hoc falsum est pro substantia anime, sed pro virtute verum est, sic ergo patet quod ibi debet sumi anima pro virtute anime. Ulterius, sciendum quod animam esse moventem potest intelligi dupliciter: uno modo quod sit illud quod movet, et hoc modo falsum; alio modo tanquam illud quo aliquid movet animal, sic enim anima est illud quo vivimus, sentimus, et isto modo conceditur. Ex quo satis potest dici ad rationes, et sic dictum sit de rationibus.

Circa (quartam) tamen dubitatur, et primo ostenditur quod elementa maneat, et hoc sicut suppotantur quatuor. Primo, quod elementa non sunt punctualiter adequata in mixto, sed unum excedit aliud. Patet, nam in unoquoque mixto dominatur alterum elementorum 2 *De generatione*. Secundo, suppono quod elementum maioris virtutis non potest corrumpi ab elemento minoris virtutis. Patet, quia agens prestantius est passivo 3 *De anima*, 4 *Metaphysice*. Tertio, quod si elementa debeant corrumpi in generatione mixti, hoc est ex actione ipsorum ad invicem. Quarto suppono quod, si unum elementorum manet in mixto, et reliquum. Ex quibus sic arguo: illud elementum manet quod non corrumpitur, sed elementum maioris virtutis est huiusmodi, ergo etc. Et patet de se conclusio.

Secundo, omne elementum seu passum minoris virtutis citius corrumpitur quam agens minoris virtutis potissime, si a fortiori agente corrumpatur, eed elementum minoris virtutis est huiusmodi, ergo etc. Tunc quero de elemento maioris virtutis restante a quo corrumpitur non a se, quia simplicia non habent in se principium corruptionis, nec a contrario elemento, quia illud iam corruptum est nec a nichilo, ut patet de se, nec a celo, quod est refugium miserorum, quia non est proximum sibi ergo manet.

Instant etiam aliqui alii contra predictam positionem. Et primo sic, et videtur in virtute idem cum prima, quia tunc sequeretur quod non corrumpit aliquid hoc impossibile. Tenet consequentia suppositis tribus. Primo, quod elementa oportet esse corrupta in adventu forme mixta per oppositum oppinantem. Secundo, quod hoc debet esse ex actione et passione aliorum adinvicem. Tertio supponitur quod res dumque corrumpitur non est, et tunc patet consequentia. Item, secundo quia corrumpentium se unum debet obtinere supra aliud, sed elementa sunt

---

0 dicit] quando *add. sed del. P1*  
*add. in marg. P1*

circa] dubia pro quarta parte questionis

adequata potentiis 1-*De generatione*, ergo etc. Item, dubium est  
 quid intendit ARISTOTELES quod non corrumpuntur alterum nec ambo,  
 5 manet enim virtus eorum, quia vel intendit probare substantiam manere  
 vel virtutem. Si substantiam, propositum; si virtutem, petit principium  
 “elementa non corrumpuntur etc.”, sed manent secundum virtutem,  
 quia virtus eorum manet. Item, queritur quid sit illa virtus elementi  
 vel substantia elementi, et sic propositum, vel accidens elementi, et si  
 10 sic, cum accidens non habeat esse sine subiecto, manet subiectum illius,  
 scilicet substantia elementi.

Ad hec dicendum per ordinem. Ad primum dico supponendo primo  
 quod aliquid corrumpi ab alio dupliciter. Uno modo per se, sicut illud  
 quod corrumpitur a suo contrario, ut calidum a frigido; alio modo  
 15 per accidens ad corruptionem alterius, ut calidum ad corruptionem  
 sui subiecti. Secundo, suppono quod qualitatem entium naturalium  
 sunt determinate ad maximum et minimum, ut patet 1-*Physicorum*,  
 verbi gratia causalitas est determinata ad maximum et minimum. Ad  
 maximum, quia si ulterius intenderetur non salvaretur forma ignis et  
 20 minimum eodem modo. His suppositis patet quid dicendum, quoniam  
 elementa se alterant in tantum quod qualibet remittuntur tantum quod  
 forme non amplius in materia remanent, et ita elementum minoris  
 virtutis potest corrumpi elementum maioris per modum repassionis.

Ad aliud dico quod ita scito corrumpitur elementum maioris virtutis  
 sicut minoris in corruptione qua non corrumpuntur ad extremum sed  
 25 in naturam quandam mediam et hoc est quia illa natura media magis  
 assimilatur alteri et etiam est intelligendum quod ibi non est maioritas  
 nec excessus contra unum alterum totaliter convertat.

|| Ad tertiam dico negando consequentiam, unde in mixto esse  
 30 contraria est dupliciter. Uno modo secundum eandem partem subiecti,  
 et hoc est impossibilis, quia contraria mutuo se expellunt, alio modo  
 respectu diversorum partium, et hoc modo non est inconueniens. Et  
 ad probationem, quia non habet nisi duas qualitates predictas, verum  
 est in eadem parte, sed bene in diversis partibus iste qualitates sunt  
 35 contrarie, unde qualitas media cerebri est contraria qualitati medie ipsius  
 cordis, ut dicitur in libello *De sensu et sensato*, quia cor calidum  
 cerebrum frigidum et isto modo est ymaginandum mixtum corpori ab  
 intrinseco, quia una pars agit in aliam sibi contiguam. Sed contra, quia  
 ex hoc videtur sequi quod nullum mixtum omoiomerum consimilium  
 dispositionum corrumpetur ab intrinseco. Concedo quod hoc verum est,

---

0 potentiis] secundo add. sed del. P1

sed una parte alterata ab extrinseco, alia pars alteratur ab illa contigua,  
et sic totum omoiomerum corrumpitur.

5 Ad alias rationes aliorum possumus dicere primo ad primam negando  
consequentiam, unde per corruptionem duo possumus intelligere vel  
alterationem precedentem esse corruptivum vel esse corruptum, quod  
est terminus talis mutationis, et tunc dico quod in illo instanti res non  
10 corrumpitur, sed habet corruptum, et ideo pro tunc elementa non sunt,  
et ideo bene verum est quod quando corruptum habet esse corruptum  
quod corrumpens non est, sed elementa bene sunt in actuali corruptione.

Ad alteram dico quod, si unum elementum debeat transtare alterum,  
in sui substantiam quod deberet ipsum excedere, sed quando transtat  
in medium non oportet totaliter excedere, sed debet esse equalitas  
15 opposita excessui requisito ad transtationem extremam, unde hic esset  
distinguendo de transtatione et de excessu ut satis patet, ideo obmitto.

Ad aliam dico quod ARISTOTELES intendit probare quod non manent  
secundum accidentem sicut corpus et album, nec corrumpuntur alterum,  
nec ambo supple secundum extremum quia eorum virtus manet modo  
20 quando est corruptio secundum extremum non manet virtus.

Ad aliam dico quod est accidens et quando dicitur quod accidente  
manente eodem oportet subiectum manere, verum est maneretur eodem  
secundum numerum, non secundum speciem vel genus modo hic manet  
idem secundum genus ideo etc. Restat igitur ultimo ponere modum  
25 mixtionis bene sciendum.